17.

A. et Ω.

COGITATIONES

De

MIRACVLO PISCINAE BETHESDAE

ad

Joh. Cap. V. comm. I–V.

placidae φιλοσοφούντων censurae

PRAESIDE

GOTTFRIDO OLEARIO, P.P.

Praeceptore suo ad cineres

vsque colendo,

IN AVDITORIO PHILOSOPHORVM

subiiciet

RESPONDENS et AVTOR,

DAVID EBERSBACH,

Suidnicensis Silesius.

ad d. XXX. Januar. A. cIↃ IↃ cc VI.

LIPSIAE,

LITERIS IOH. ANDR. Zschau.

VIRO.

ILLVSTRI. ET. MAGNIFICO.

DOMINO.

GOTTLIEB MILICHIO.

ICTO. CONSVMMATO.

S. CAES. MAIESTATI. A. CONSILIIS.

ET. IN. CONSILIO. REGIO.

SVIDNICENSI. ET. IAVORENSI.

SECRETARIO.



VIRO.

SVMME. REVERENDO.

DOMINO.

GOTTFRIDO. FVCHSIO.

ECCLESIAE. EVANGELICAE.

IN. DVCATV. SVIDNICENSI.

PASTORI. PRIMARIO.

RERVMQVE. ECCLESIASTICARVM.

INSPECTORI.

ILLI.
SVMMIS. IN. PATRIAM. REMP.
HVIC.
IN. ECCLESIAM. MERITIS.
MAXIME. ILLVSTRIBVS.
RELIGIONIS. SINE. SVPERSTITIONE.
ERVDITIONIS. SINE. IACTANTIA.
PRVDENTIAE. SINE. DOLO.
EXEMPLIS.
PATRONIS. SVIS. OPTIMIS.
LVSVS. HOSCE. ACADEMICOS.
ANIMI. VERE. DEVOTI. PIGNVS.
OFFERT.

DAVID. EBERSBACH, SVIDNICENS.



I. N. J.

§. I.

DE *Miraculo* Piſcinae in domo Bethesdae iudicium laturis quid ſit *miraculum* proprio et magis reſtricto ſenſu perſpectum eſſe ante omnia debet atque exploratum. Non enim res quaeuis, ſiue rarius ſiue nunquam viſa, ſiue confuſe et imperfecte cognita, ſiue cauſas habens minus exploratas, eoque mentem attonitam ſtupore implens atque ſuſpendens, *Miraculum* ſtatim adpellabitur nobis. Certe enim innumera ſunt naturae atque artis opera, quae, ſi iſtis conditionibus aeſtimandum veniret *Miraculum*, in hunc cenſum referenda eſſent, periretque omnis miraculi vſus, omnis diſtinctio. *Miraculum* itaque res ſit oportet ordinarias naturae leges atque vires plane ſuperans, cuius cauſam proinde aliam nullam quam diuinam virtutem, vel immediate operantem, vel miniſteriali cauſae conlatam atque concreditam reddere liceat. Per ordinarias autem naturae leges, quas ſuperare miraculum diximus, nihil aliud, vt rem ſimplicisſime exponamus, intelligitur, quam corporum animorumque, quibus omne naturae regnum finitur abſoluiturque, potentiae, quae quidem ab eſſentiis eorum attributisque eſſentialibus pendent, viresque quibus valent ad certos motus atque operationes producendas. Quas quae exceſſerit res maius quidem aliquid eſt et amplius, quam quod natura praeſtare poſſit, viresque adeo requirit atque potentiam, ea quae in ſecundis cauſis eſt, ampliorem:

cum quantum est in effectu realis et verae perfectionis, tantum in causa virtutis atque operandi potentiae sit admittendum, nisi ex nihilo aliquid prouenire posse velimus admittere: at contrarios tamen siue effectus illos, siue virtutem ampliorem a qua illi deriuantur, esse, atque aduersos potentiis corporum animorumque essentialibus, h. e. *naturae*, nihil necesse est; imo nunquam esse censendi sunt. Hoc enim si eueniret, *Miraculum* nihil aliud esset futurum, quam contradictio in adiecto, quam vocant in scholis: esset hoc positio τȣ esse simul et non esse, esset facere obiectum omnipotentiae diuinae rem impossibilem. Quod vt est rationi, sibi ipsi et euidentibus principiis attendenti, perspicuum oppido, ita mirum tamen est multos in eam devenire opinionem potuisse, ea demum vera esse *Miracula*, in quibus repugnantia omnia esse videantur, ita vt mentem ea considerantem nihil aliud quam merus occupet stupor: Imo et aegre patiantur a nonnullis ita *Miracula* explicari, vt percipere mens possit, non esse in iis quae ratio inuicem repugnare deprehendat, quasi miraculi aliquid decedat excellentiae, si possibile illud virtuti infinitae esse mens deprehendat. Alia mens *Augustini* fuit, *nihil contra naturam Deum facere* statuentis, *sed potius omnia ita disponere, vt ad eiusdem conservationem sapientissime sint apta.* Hocque ipsum spectasse puto doctissimum Brittannorum Medicum Bernhardum *Connor*, qui *in Euangelio* quod appellauit *Medici Miraculorum* expositurus naturam, eam ipsam formam rationemque, quae miraculum constituit, non in essentia rei, sed attributo quodam et affectione quaerit, quae extra essentiam rei sit posita. Nempe cum motum nulli corpori essentialem esse plerisque visum Philosophis fuerit, qui leges motus, in hac rerum vniuersitate obtinentes, a liberrimo creatoris arbitrio pendere existimauerunt; ex legum motus ordinariarum suspensione, quae saluis rerum naturis, nihilque contrarii et aduersi patientibus, fieri possit, omnem *Miraculorum* rationem deduxit.

c. Faust. Manich. c. 26.

§. II.

§. II. Vt vero *Miraculum* impoſſibilia continere, nemo recte vſus ratione dixerit.: Ita viciſſim nihil aliud in illo eſſe quam id quod cauſis ſecundis poſſibile ſit, et ex naturalibus earum potentiis deriuari queat, cum *Nehemia Greuio* non auſim affirmare. Ille nimirum nihil aliud *Miraculum* eſſe ſtatuit quam *inſolitum atque rariorem potentiae cuiusdam naturalis, verum incognitae, effectum, diuina autoritate, circumſtantiis quibusdam limitatum, atque fini cuidam conuenienti ſubordinatum.* Cosmol. S. L. IV. c. V. p. 196. Quae eius definitio vt rectius intelligatur, exemplo ſtatim, ab ipſo inter alia multa allato, accommodare non abs re fuerit. Sic viam itaque per rubrum mare ſtratam Iſraelitis *Miraculo* fuiſſe agnoſcit. Maris tamen diuiſionem aquarumque cumulo aſſurgentium muros *naturalis cauſae* effectum fuiſſe exiſtimat. Eurum nempe vehementius ſpirantem, qui mare medium ſulcans et diuiſerit aquas, et vt murorum ad inſtar, gelu obrigeſcentes, vtrinque conſiſterent, effecerit. Eiusque rei argumentum Vir cl. ipſum Mo- *Exod.*
ſis Canticum ſibi ſuppeditare arbitratur, vbi illa inter alia leguntur *c. XV, 8. 10.*
נשפת ברוחך כסמו ים item ברוח אפיך נערמו-מים
quae ipſe quidem de vento accipit: imo et ex eo ſuae ſententiae ſpeciem quaerit, quod Aegyptii eodem itinere ſequi Iſraelitas auſi fuerint, non auſuri, ſi firmum iter glaciem ſibi praeſtituram non exiſtimauiſſent: qua tamen calidioris indolis fauonio liquefacta illis fuerit pereundum. En igitur cauſam tantae rei *naturalem* ventos, vere tamen *miraculum* habentes, quod *exacte* adeo temporis *circumſtantia* fuerint reſtricti atque *limitati*, ut tum quidem, cum Iſraelitae eſſent ſeruandi ab ortu, ab occaſu vero, cum orco transmittendi Aegyptii eſſent ſpirauerint. Imo et eo miraculi tuentes dignitatem, quod *rarum* adeo atque *inſolitum* iſtorum ventorum extiterit phaenomenon, vt nunquam ſimile aliquod vel in iſto mari vel in aliis quibuscunque fuerit obſeruatum.

§. III. Equidem commoda videri poterat iſta miracula

explicandi ratio, qua occurratur *Benedicti Spinosae* doctrinae, qui miracula rem obscuram putabat, eosque qui religionem miraculorum fide confirmant, rem obscuram per aliam magis obscuram explicare existimabat, vt loquitur in *epist. XXXIII. ad Henr.*
§ VI. *Oldenburgium.* Imo et in *tr. Theologico-Politico* innuit, eos *qui Miracula* vires naturae excedere docent, nunquam euincere posse esse aliquod opus *Miraculum*, cum vires naturae adaequate cognitas non habeant atque perspectas. Huic inquam difficultati medelam afferre primo intuitu videri possit cl. Greuii sententia, quae dum naturalibus causis *Miraculum* fieri posse concedit, labore nos subleuat demonstrandi, hoc ipsum quod *miraculum* est, viribus naturae ordinariis, nobis non vsquequaque cognitis, esse majus, et aliunde formam atque rationem miraculi designat, ex eius scilicet raritate insigni, & specialissima per certas circumstantias & ad certum finem determinatione. Attamen et medicina ista nec certa satis esse videtur, et rationes quoque obstant haut paucae, cur faciles adeo nos haut praebeamus *Spinosae*, qui hoc ipsum sibi cummaxime concedi postulat, miraculum nihil aliud esse *quam opus naturae insolitum, cuius causa vulgo ignoretur.* Non tutam satis medelam illam puto, certe enim non minus dubii haerebimus semper, an pro vero *miraculo* opus aliquod habendum sit ista, quam alia quacunque admissa hypothesi. Cum enim euenire possit, vt vel casu vel impostoris industria, cui explorata sit causa operis naturae insoliti, illud certis circumstantiis finique certo accommodetur, dubiis haerendum erit semper, an fidem praebere an suspendere praestet vbi res miraculi autoritatem ambiens fuerit oblata. Vice factum est plus simplici vt Eclipsin totalem, rem, quae rarissima, illis saltem quibus historiam naturae perdiscere haut licuit, non videri non potest, finibus suis & circumstantiis temporum accommodauerint Viri πολιτικοὶ, causarum phaenomeni huius rarioris periti. Quid autem faciemus tali eclipsi quam adducendam praedixerit

Hispa-

Hiſpanus vel Belga catus, eiusque tenebris Indum in ſumma meridie territum, a ſeditionis vel alterius facinoris cuiusuis moliminibus auertit? an *miraculum* dicemus, eo quod apte ad certum finem, certisque circumſtantiis limitatum determinatumque videamus, licet naturae viribus rem ipſam deberi cognoſcamus? at ſic peribit omnis *miraculorum* vis. an negabimus *miraculum* eſſe? at ſic de ceteris quoque, quae *Greuius* agnoſcit, *miraculis* ſemper dubitandum. Cum enim ipſe ſibi plerorumque, vel ſaltem haut paucorum naturales cauſas cognoſcere videatur, nec impoſſibile ſit easdem Viros Dei, per quos patrata fuere, cognouiſſe: euentus vero naturalis, cuius cauſa determinate cognita eſt antea etiam posſit praeſciri, non video quid ſuperſit quo conuincamur *miraculum* aliquid eſſe. Hoc forte inquiet *Greuius*, quod *diuinitus* determinatum ſit ad certum finem, circumſtantiisque certis, quod in Eclipſeos a nobis ſuppeditato exemplo minime valeat. At contra excipiet incredulus, id vero ipſum in quaeſtione eſſe vnde ſit illa determinatio, per hoc ipſum opus, vires naturae ordinarias excedens, eiusque intrinſecam rationem decidenda: deſtituereque adeo nos demum rationem, ſi dicamus *miraculum* inſeruire conuincendis hominibus, quod *a Deo* ordinatus et miſſus ſit ille a quo patratur: *Miraculum* vero pro tali agnoſci ex *diuina* operis naturae determinatione et limitatione ad certum finem certasque circumſtantias, quae obſcura tamen nobis ſit neque ex euidentibus principiis explorata.

§. IV. Sed & rationes fortisſimas obſtare puto, quo minus illam *miraculi* definitionem, *quod ſit opus naturae inſolitum cuius cauſa vulgo ignoretur, etc.* admittamus, licet vel maxime ſcrupulo paulo ante moto ſatisfaceret penitus, cui non ſatisfacere oſtenſum, alia ratione ſatisfieri poſſe paulo poſt oſtendetur. Hoc tantum vrgebo, quod iam olim iſti definitionis *Greuianae* parti, quae *Spinoſae* perplacuerat, oppoſuit Henr. Oldenburgius: *Ep. 22.*

Lazari a mortuis suscitationem, et Jesu Christi a mortuis resurrectionem omnem naturae creatae vim superare, et soli potentiae divinae competere videri. Sane enim licet inuentus fuerit Montispeliensis Medici larua indutus Judaeus *La Porta,* qui A. 1608. in solenni Panegyri recitata oratione probare conatus fuerit: nihil quod naturae vires superet in Lazari fuisse resuscitatione, quatriduo nondum absoluto facta, tum quidem miraculo non caritura, si post quartum diem contigisset, similia haut dubie oblique de Christi resurrectione insinuans; ridiculae tamen adeo sunt rationes eius, ex nescio quibus numerorum mysteriis et Septenarii refractione petitæ, vt commiseratione potius et medicina, homo ad Corcyras et cerebrum helleboro purgandum ablegandus, opus habeat, quam seria confutatione. Nec melioris notae fuisse puto Itali Medici *de resurrectione mortuorum naturali* librum, quem visum sibi Gabriel Naudaeus testatur. Magis certe ingenue non nimis alias in *Miraculis* adhibenda fide facilis Pomponatius: *Quanquam aliqua, quae referuntur esse facta tam in Historia Legis Mosis quam Legis Christi, superficialiter reduci possunt in causam naturalem, tamen multa sunt quae minime in talem causam reduci possunt: veluti est de resurrectione Lazari quatriduani, etiam foetentis: de coeco a natiuitate illuminato: de saturatione tot mille hominum ex quinque panibus et duobus piscibus: de claudo a natiuitate restituto per Petrum et Ioannem: de scaturigine fontis ex solo verbo: et sic fere de infinitis aliis, quorum nullum potest reduci in causam naturalem, neque immediate fuisse factum per aliquam rem creatam.* Et ipse certe *Spinosa* in epistola qua respondit *Oldenburgio*, desperans illa commode ex naturae viribus posse explicari, *Oldenburgii* quaestioni, quomodo mortui suscitati naturae viribus potuerint, quaestionem opponit *an nos homunciones* inquit *tantam naturae cognitionem habemus, vt determinare possimus quousque eius vis et potentia se extendit, et quid eius vim superat? quod* pergit *quia nemo sine arrogantia praesu-*

Naudaean. p. 33.

De incantat. c. 6. p. 87 sq.

praesumere potest, licet ergo absque iactantia miracula per causas naturales quantum fieri potest explicare, & quae explicare non possumus nec etiam demonstrare quod absurda sint, satius est iudicium de iis suspendere. Si vero sunt quae explicari per causas naturales non possint, si sint de quibus iudicium sit suspendendum, quam indignum philosopho vniuersale pronunciare effatum, omnia *miracula* esse naturae opera? Cetera enim nugamenta *Spinosae* ad Christi imprimis resuscitationem spectantia, quam spiritualem dicit fuisse, eum hoc modo suis aiens apparuisse, quo tres viri Abrahamo in luco Mambre apparuerunt, nunc praetereo: vt quae ipsa sacra historia manifeste explodantur, idque vnice probent, *Spinosam*, isto miraculo ad desperationem adactum, hypotheseos tuendae causa, quicquid confingere, vtcunque inepte maluisse, quam vmbram semel a se apprehensam adamatamque dimittere.

§. V. Cum autem hoc, quod *Spinosa* existimat, nos qui vires naturae penitus perspectas non habeamus, non posse negare miracula eius esse effecta, eo praeterea tendat, vt nos ex hypothesi nostra de *miraculo* iudicium non ferre posse ostendatur, nobisque adeo *de Piscinae Bethesdae miraculo* disserendi potestatem eripiat, ea de re tribus verbis adhuc dispiciemus. Nempe largimur *Spinosae* manu, quod dicitur, vtraque, omnes naturae, machinae tam vastae, tam stupendae, vires et potentias nos quidem exploratas minime habere. Attamen ex inde quod aliquis, quae possit aliqua res, omnia non cognoscat, eum cognoscere quaedam quae non possit non valere, minime sequitur. Non nouimus omnes animae nostrae vires et potentias, eam tamen operatione sua pluribus rebus simul esse praesentem haut posse minime ignoramus, nec ignoramus eam motus corporis mere mechanicos dirigere minime valere. Cur itaque idem in tota natura non obtineat, quod in naturae compendio homine? Jam porro si aliquod opus effectumque aliquem talem esse constiterit,

vt nunquam vel ipſum vel eius producendi potentia in rerum natura comparuerit, concludere nos certo poſſe exiſtimo vires naturae illud ſuperare, maxime ſi aduerſum etiam ſit motibus cauſarum naturalium in agendo conſtitutarum, tale phaenomenon. Ratio atque euidentia huius principii in eo eſt, quod naturae potentiae ſint mechanicae, atque ad agendum certo modo determinatae: vnde omnes earum operationes ſunt vniformes, vt poſita tali cauſarum coniunctione neceſſario ſequatur talis effectus. Qui ſi ſingularis ſit et cui ſimilis nunquam appareat alias, conſequens inde eſt, eum ex operatione naturae vniformi eiusque adeo potentiis non proceſſiſſe, vt ad aliam cauſam ſupernaturalem confugere, talemque effectum pro *miraculo* habere neceſſe ſit. Jam vero experientia nos docet omnino, an talis ſit effectus de quo quaeſtio nobis eſt, cuius auditis conſiliis facile deinceps ratio ex ceteris indicatis principiis iudicium ferre poteſt. Quod ſi motus praeterea obſeruentur, ordinariis et conſtantibus legibus corporum motorum plane aduerſi, res hoc magis erit in vado. Sic Joſuae *miraculum*, cuius nutu *Sol* gradum ſiſtebat, facile autoritatem ſuam tuebitur. Nunquam ſimile quid factum vlla hiſtoriarum fide conſtat, non eſt ergo iſta mora eius ex vniformis operationis ſiue ſolis ſiue vicinorum ei corporum lege, facesſatque Spinoſae refractio in glaciali aere, qualis conſueto curſu pergente ſole per totam diem continuari non poteſt: Nec proinde ex potentia eius eſt naturali, adeoque naturam excedit atque *miraculum* eſt. Et ſi vel maxime corpus oppoſitum fuiſſe ſoli, quod faciunt nonnulli, fingas, quod eius retardauerit motum, illud tamen vel antea extitiſſe dices vel minus. Si non extitit, ergo *miraculo* quodam ortum fuerit, *miraculo* rurſum, peracto officio, disſilierit neceſſe eſt. Si extitit, ipſum quoque determinatis ſuis gauiſum eſt motibus et potentiis, gaudetque: quarum legibus ſolutis ſi tum quidem motum fuerit, miraculum habebis rurſus, hoc eſt opus naturae vires potentiasque et leges

ſupergreſſum. Nec dubito iſtum rationis proceſſum in *miraculis* diiudicandis eſſe genuinum, quem Phariſaeis commendabat bonus ille vir, qui corporis oculis reſtitutis animo quoque videbat clarius: ἐκ τοῦ αἰῶνος inquit οὐκ ἠκούσθη ὅτι ἤνοιξέ τις ὀφθαλμοὺς τυφλοῦ γεγεννημένου, εἰ μὴ οὗτος ἦν παρὰ Θεοῦ, οὐκ ἠδύνατο ποιεῖν οὐδέν. *Joan. IX, 32*
Imo et ipſe Saluator ad opera prouocat ἃ οὐδεὶς ἄλλος πεποίηκε. *Joan. XV, 24*

§. VI. Ex iſtis vero patet naturalis iudicandi facultatis et rationis eſſe de *miraculis* iudicium: vt mirum nemini videri debeat, quod *domus Bethesdae* miraculum Philoſophus expendere audeat. Certe naturae leges atque potentias cognoſcere Philoſophi eſt, eiusque cognitionis ſubſidia, obſeruatio nempe, experientia ſenſuum atque rationis fulta, omnibus patent, qua homines ſunt, ſenſuque vtuntur et ratione. Vt Theologo adeo, ſi quid hic praeſtare cupiat, ſubſidiaria Philoſophiae opera ſit imploranda. Quod verum adeo eſt, vt omnis miraculorum vſus et finis ſit abnegandus aliam ſententiam amplexuro, ipſaque ſapientia potentiaque diuina irriti accuſanda conatus. Nonne enim fidem antecedunt viamque ei ſternunt miracula? imo infidelium cauſa vt ad fidem adducantur data ab omnibus agnoſcuntur? quam in rem inſignem locum in Apoſtolorum habemus Conſtitutionibus. Ipſeque id firmat Saluator, qui infideles & nondum conuerſos ἑωρακέναι *vidiſſe* & *intellexiſſe Miracula* ſua, idque ipſum peccatum indurationis ipſorum aggrauare teſtatur. *c. VIII, 1.* *Joan. XV. fin.*

§. VII. Vt vero eſt ratio in hocce, in quo nunc degimus, imperfectionis ſtatu ad errorem procliuis, ita facile euenit, vt admiratione rerum ignotarum attoniti, atque δεισιδαιμονέστεροι, *miracula* credamus, quae talia non ſunt, quod omni profanarum religionum ſuperſtitioni addidit fulcrum. Certe enim nulla fuit tam ab omni ratione aliena Deum colendi ratio, quae hic ſibi praeſidium non quaereret atque firmamentum, ſacrificulis lucro atque honoribus inhiantibus id agentibus ſtrenue, vt ſimplicem

plebeculam, τερατείαις suis deceptam, captiuam quasi detinerent. Imo et viri πολιτικοὶ, vt maior esset legum decretorumque suorum stabiliorque autoritas, ad *miracula* tanquam sacram anchoram confugerunt, nullusque fere antiquissimorum legislatorum fuit, qui *miracula* magisque familiaria cum Diis commercia non iactauerit; quod innumeris exemplis constat, diligenter collectis a Diodoro Sic. et doctissimo Patrum, *Theodorito*, in *Therapeutico Serm. IX* Quin et boni quidam Viri raritate et magnitudine phaenomenorum quorundam, ignorantia causarum, et quod casu quandoque certos euentus cum certis quibusdam phaenomenis coniunctos obseruassent, phantasia praeterea, quam paulo magis infirmam nacti fuere, omniaque percepta immane quantum augentem, exterriti, pro *miraculis* haut raro habent, et diuini aliquid inesse credunt rebus, in quibus solae potentias suas iuxta leges limitesque sibi praescriptos exercent naturales causae. Indeque factum est vt Eclipses, cometae, nubium variae figurae aliaque in coelo φαινόμενα, alitum pugnae, mutatus in aquis color, et cetera eius generis innumera, monstri aliquid alere passim credita fuerint, et in argumenta iudiciorum diuinorum a quibusdam conuersa: a quibus periculum est ne magis noceatur religioni quam inseruiatur. Illis vero vt obex ponendus erat nimiae credulitati, firmiter inhaerendo vtilissimae distinctioni *miraculorum* et *euentuum rariorum* atque *singulare* aliquid habentium: regulaeque maxime necessariae, *nihil pro miraculo habendum esse, quod vires et potentias causarum naturalium, debite nobis exploratas, liquidissime non excedat*; ita inprimis quoque erat cauendum, ne præcipiti nimis iudicio male de illis sentirent, quos de quibusdam quae *miracula* credunt ipsi, aliter sentire deprehenderint. Equidem eorum plane eandem rationem esse non dixerim ego, nec intercedam quo minus contra detestabilem quorundam curiositatem vel petulantiam potius, et profanam omne id quod reuelatae religioni inseruit euer-

L. I. Bibl. p. 48.

tendi

tendi libidinem ſeuerisſima dicatur ſententia. At tales profecto omnes non puto, qui quaecunque in vulgus iactantur *miracula*, vel accipere ſine examine recuſant, vel examine adhibito reiiciunt, eorumque cauſas palam oſtendere ſatagunt. Sint *Vannini* et *Spinoſae* manifeſta impietate omnem verorum miraculorum fidem eleuantes: ſint *Pomponatii*, *Cardani* et *Caeſalpini*, non immerito ſuſpecti, quod paulo longius ſaltem, ingenii forſan oſtentandi et rerum naturalium peritiae magis, quam religionis deſtruendae, ſtudio proceſſerint. At alii ſunt qui bona fide, et optimo animo hoc ſtadium ingrediuntur, qui ſi in quibusdam forte aberrauerint, humanae infirmitati id condonandum potius; quam vt turpibus propterea nominibus ſint proſcribendi. Optimum itaque fuerit habere ad manum certas quasdam notas et characteres, ex quibus quo animo, quo item Religionis reuelatae, cui ſtabiliendae miracula inſeruire debent, vel damno vel emolumento, ad cauſas naturales reuocentur a quibusdam *miracula*, iudicare liceat. Quae vt aliquo modo, et qua licet mortalibus, qui καρδιογνῶσται non ſint, aſſequamur, *primo* quidem diligenter obſeruandum putem eſſe diſcrimen, inter ea quae antiquitus, cum ſtabilienda primum eſſet vel inter Judaeos vel Chriſtianos Religio, patrata fuere, ab iis quae hodie pasſim a quibusdam iactantur. Cum enim *miracula* confirmandae reuelationi potisſimum deſtinata eſſe, ipſa ratio ſuadeat; reuelationem autem rerum ad fidem pertinentium nullam expectandam nobis amplius eſſe, ipſa Theologia *miraculis* confirmata prodat; Ratio inde concluſionem deducit, non adeo magnam noxam expectandam ab eo eſſe, qui modernis huiusmodi *miraculis* vel difficilius aſſenſum praebeat, vel plane ea in dubium vocet atque neget. Nec hoc tantum affirmauerim, verum id inſuper etiam, minus ab illis eſſe metuendum religioni, qui paulo difficiliores ſint in eiusmodi admittendis *miraculis*, quam ab illis quorum nimia extiterit credulitas;

quos ſcilicet facilius ſit a recto tramite verſutia hominum abduci, quam eos qui certa verbi regula vnice nituntur: neſcioque an non virtuti eius diffidere videantur, qui alia hodie terrendorum conuertendorumque hominum media quaerunt. Imo quomodo imposturis quorundam, *miracula* identidem noua, peſſimo fine, excogitantium, obex poni queat, non video, ſi iſta ingeniorum in huiusmodi rebus inueſtigandis ſolertia ſuffocetur atque extinguatur. Quantum ad ea vero quae olim patrata eſſe diuina humanaque docent atque euincunt monimenta, eorum quoque nonnullum mihi diſcrimen obſeruandum videtur. Certe enim quaedam iſto praeciſe fine oſtenſa fuerunt, vt confirmarent diuinam Doctoris alicuius miſſionem, doctrinaeque eius veritatem, quibusque adeo deſtructis ipſa veritas in dubium vocatur, cui diuinam virtutem per ea teſtimonium perhibere creditum. Alia vero eſt aliorum quorundam ratio. Ita profecto illius generis ſunt, quae in Legis promulgatione patrata fuerunt, optimique inprimis Saluatoris reſurrectio, vt alia innumera taceamus, quae qui abnegauerit non niſi peſſime de religione poterit cenſere. At quaedam non eo praeciſe fine patrata ſunt, ſed aliis emolumentis parandis, in quibus qui prouidentiam Dei ſpecialem admiſerit in dirigendis cauſarum ſecundarum potentiis, licet vim naturae potentias ſupergreſſam non agnoſcat, profanus certe nullo ſuo merito videbitur, licet curioſior forte quam par ſit quandoque, et caſtigatione proinde dignus, iure videri poſſit. Sic nolim turpi profani impiique titulo proſcribere eum, qui coturnices, quibus paſti aliquamdiu Iſraelitae fuerunt, quae aduexerint cauſas naturales, ventos v.g. ex Aegypto, vbi prodigioſa earum copia, eas adducentes, inquirat, licet conſtans, qua aduolaſſe eas conſtat, lex extraordinarium quid hic quoque admittere ſuadeat. Multo minus ſi ipſae ſcripturae quaedam ſuppeditant, quae vel totum phaenomenon vel aliquas eius circumſtantias aliter accipi ſuadeat, arripi ea in vitio poni poteſt, non magis certe quam alias inter-

pretan-

pretandi vti libertate. Sic maxillam aſini qua Simſon vſus fuit, cum cladem mille Palaeſtinis inferret, ſi genus armorum quis eſſe dixerit, puteumque non ex ipſa ea, quaecunque illa fuerit, re, ſed ex loco qui ab ea acceperat nomen, ſcaturiiſſe agnoſcat, ille cur merito nobis profani animi ſuſpectus eſſe debeat, ſane ego non video. Poſtremo, vt finem faciam, non vltima illa mihi nota videtur atque diſcrimen eius, qui bona fide de *miraculis*, quae vulgo pro talibus habeantur, dubitet, ab illo qui proterua id faciat malitia, odioque religionis; quod ille quidem vbi luculenta virium naturalium veſtigia ſe non prodant, facile manus det, digitumque diuinum agnoſcat; ille quaecunque abſurda et ab omni ratione aliena comminiſci malit, quam vt *miraculum* admittat, auerſum hoc ipſo animum a religione, omnibusque iis quae ſtabilire eam poſſint aperte prodens. Vt quod de Atheo vniuerſim dicere memini Virum ingenio et eruditione non incelebrem, *nihil tam abſurdum eſſe quod credere non malit, quam agnoſcere Deum*, id optimo iure ad huiusmodi *miraculorum* trahere etiam liceat cauillatores. Quis credat hominem dum ſapere cum maxime cupit aliorumque credulitatem ſuſpenſo naſu ridet, eo ſtolidiſſimae credulitatis poſſe prolabi, vt credat *Religionem in ſui ortu miracula oſtentare ideo, quia in longisſimis temporum interuallis potentisſimae intercedunt Planetarum coniunctiones, quo tempore nouam religionem inſtitui ac ceſſare veterem clarisſima Aſtronomis conſtare posſit ratione. Nempe quia ex magnis ſiderum coniunctionibus inferiora haec, ſummam cum nanciſcantur poteſtatem, admiranda opera proferant, inſuper hominum voluntates tum immutari. Phantaſiam qua intellectus voluntatis conſiliarius vtitur coelo ſubiici. Virumque adeo ſapientem, ſacros aeterni nominis honores appetentem, cum haec futura praeuidet, prophetam a Deo ſe miſſum praedicare, quaeque neceſſario coeleſtium corporum vi miracula fiunt, confictae ſui ipſius omnipotentiae adſcribere, atque ita deluſam plebeculam eum admirari:* quae, per-

abſurda eſt Caeſaris Vannini Philoſophia in Dialogo LII. tot contradictionibus laborans, adeo phaenomenis circa religionum obſeruatis ortum, indolique inprimis primorum eius autorum aduerſa, vt ea explodere pluribus otio ſuo ſit abuti.

§. VIII. Has notas atque characteres hominum profana impietate quicquid eſt miraculorum eludere atque euertere conantium, quisquis examinauerit, et cum ea contenderit indole quam diximus eſſe eorum, qui bona fide de nonnullis, quae vulgo creduntur, *miraculis* dubitant; facile puto animaduertet, nos *miraculum piſcinae Bethesdae* defenſuros, non id agere, vt bonorum virorum qui aliter ſenſerunt nomini labem adſpergamus, manesque eorum, quos veneramur, beneque iis precamur, ſolicitemus; quos non profano certe illi hominum generi annumerare, ſed in poſteriore claſſe cenſere iubent characteres allegati. Magna nempe producimus nomina. Ex Anglicanae Eccleſiae doctoribus *H. Hammondum,* virum ita ab omni alienum profana impietate, vt vita et ſcriptis primas inter Eccleſiarum illarum doctores, qui ſanctitatis ſtudia coluerint, hodienum mereatur. Cuius rei ſi aliud argumentum non eſſet, aureus certe liber quo *omnia Hominis Chriſtiani officia* complexus eſt, et quem plerique argumentis non contemnendis illi tribuunt, affatim loqueretur. Alter ex noſtris eſt, Vir ſummus *Thomas Bartholinus*, cuius tantum abeſt, vt ſuſpecta nobis bona fides eſſe poſſit, vt merito de egregio naturae myſta, qui haut parum lucis ſupernaturalibus quoque Dei operibus eruditisſimis ſcriptis attulit, Eccleſiis noſtris gratulemur.

§. IX. Res nempe de qua quaeritur iſta eſt: Erat Hieroſolymis, Judaeorum Regia, apud ouiariam piſcinam, domus, quam *Bethesda* Hebraice appellabant, quinque porticibus inſtructa, in his ingens aegrotantium iacebat multitudo, coecorum, claudorum, tabidorum, ex piſcina illa ſalutem expectantium. Nempe Angelus certo tempore in piſcinam deſcendebat, aquamque

turbabat:

turbabat: post quam aquae turbationem qui primus in piscinam descenderet, sanus statim euadebat, nihil eo, qui post primum morbi depellendi causa aquis illis sese immitteret, proficiente. Haec an naturalium causarum debeantur potentiis, an *miraculi* aliquid viresque naturae ordinarias supergressum admitti hic debeat, mihi cum paulo ante laudatis viris doctis nunc disputandum.

§. X. Jn eo vtrique conuenit, non opus esse vt ad supernaturales causas hic confugiamus, diuersas tamen iniuere vias ad naturales rimandas, quibus hoc phaenomenon adscribi possit, potentias. *Henricus Hammondus* nempe obseruat rarum haut esse, vt *aegri* certo morborum genere curentur immissi ventri bestiae recens euisceratae, vel inuoluti cute ouis adhuc calente, vel adplicatione membri viui cuiuspiam animalis. Huiusmodi itaque, inquit, vim haec piscina adipisci poterat ex visceribus victimarum, quae quotidie in ea lauabantur, praesertim festorum tempore, quo multa victimarum millia vno die interficiebantur. Tot vero victimae, ait, aquam tingere eamque virtutem in eam effundere potuerunt, praesertim dum aqua caleret ex ablutione victimarum, et ab hominibus in eam descendentibus turbaretur. Cui sententiae vt auctoritatem conciliaret, nouitatisque abstergeret speciem, qua minus quibusdam decora poterat videri, non ad *Theophylacti* tantum identidem prouocat autoritatem, sed et ad opinionem receptam ex qua eam Theophylactus referat. Qua de re, antequam ab *Hammondo* ad *Bartholinum* transeamus, operae pretium ducimus ipsum audire *Theophylactum*. Sic itaque ille de hoc ipso *piscinae Bethesdae phaenomeno* loquitur: εἶχον δὲ πολλοὶ ὑπόληψιν, ὅτι καὶ ἀπὸ μόνου τοῦ πλύνεσθαι τὰ ἐντόσθια τῶν ἱερείων, δύναμίν τινα λαμβάνει θειοτέραν τὸ ὕδωρ. quae sunt ipsissima verba quibus sibi suffragari Theophylactum putauit *Hammondus*: Ea autem ad verbum ita vertas: *multi autem in ea fuere opinione, quod a solis intestinis sacrificio-*

rum ablutis vim quandam aqua acceperit magis diuinam. quibus certe verbis tantum abest vt *Hammondo*, mere naturalem virtutem hic agnoſcenti, ſuffragetur *Theophylactus*, vt diſerte *vim* appellet *magis diuinam* δύναμιν θειοτέραν, quae ſcilicet aquae *diuinitus* communicata ſit eo, quod ſacrificia, res *diuina* et *ſancta*, in ea abluerentur, non naturali quadam viſcerum virtute atque potentia. Et ne dubium ſupereſſe poſſit ipſe in ſequentibus ita explicat mentem ſuam *Theophylactus*, διὸ καὶ ἄγγελον ἐπιφοιτᾶν τούτῳ τῷ ὕδατι ὡς ἐκλεκτῷ καὶ θαυματουργεῖν h. e. propterea *Angelum quoque ad aquam hancce tanquam ad electam accedere, MIRACVLVMque operari.* Ergo hic θαυματουργία *miraculi patratio*, et quae *Angelo* quidem tanquam cauſae ſupernaturali debeatur, qui huic praeciſe *aquae* hanc vim indiderit, quod eſſet ἐκλεκτὸς *electa* h.e. *ſacrificiorum inteſtinis* quaſi ſanctificata. Sed et porro addit τὸ τῆς κολυμβήθρας ταύτης θαῦμα προοικονομῆσαι τὸν Θεὸν &c. h. e. *piſcinae huius* MIRACVLVM *praeordinaſſe Deum vt ad baptismi diuinaeque illius virtutis fidem praepararet Judaeos*, qui ex eo, quod omnipotentia diuina aquis admirandam huiusmodi in ſanandis corporibus virtutem poſſit conferre, debuerint colligere, impoſſibile ei non eſſe, ſimilem ad animos purgandos ſanandosque efficaciam aquis indere. Quae ex *Chryſoſtomo* expreſſa argumentatio profecto nulla plane eſſet, et ab omni ratione aliena ſi *Theophylactus* ſupernaturalem aliquam in *Colymbethra* Bethesdae vim non agnouiſſet. Poſtremo diſerte addit: ἄγγελος κατὰ καιρὸν διαβαίνων διετάρασσε τὸ ὕδωρ, καὶ ἰαματικὴν ἐνετίθει τούτῳ δύναμιν. οὐ γὰρ δήπου ἡ τοῦ ΥΔΑΤΟΣ ΦΥΣΙΣ αὐτὴ καθ' αὑτὴν ἰᾶτο, ἀλλ' ἐπὶ τῇ τοῦ ἀγγέλου ἐνεργείᾳ τὸ πᾶν ἔκειτο h. e. *Angelus certo tempore deſcendens aquam turbauit et medicam virtutem ei indidit, non enim AQVAE NATURA ipſa per ſe ſanabat, ſed ab Angeli virtute id omne pendebat.* Vt ſole clarius eſſe exiſtimemus meridiano, nihil commune eſſe cum *Theophylacti* ſententia *Hammondo:* id quod oculatisſimi *Hammondi* Cenſoris, *Jo. Clerici*, effugiſſe aciem non immerito mireris.

§. XI.

§. XI. Paulo aliter quam, *Theophylacti* veſtigiis ſeſe inhaerere exiſtimans, *Hammondus* rem explicauit *Th. Bartholinus* noſter, aquas enim illas medicatas fuiſſe putat, quae in *piſcina probatica* ebulliuerint, quibus vis diuinitus immiſſa fuerit per naturam: quales thermae, acidulae aliaeque eius generis, de quibus multa in *Commentario de Paralyticis Noui Teſtamenti Medico et Philologico* erudite collegit, praeſentique inſtituto accommodare conatus fuit. Singulas vero Hiſtoriae *Piſcinae Bethesdae* circumſtantias diligenter opinioni ſuae vterque virorum doctisſimorum adaptare allaborat, quod an ſatis commode, et absque vi textui Ioanneo inferenda fieri posſit, nunc porro diſpiciendum.

§. XII. Primo LOCVS obſeruandus: quem Sacer Scriptor iſtis verbis deſcribit: ἔςι δὲ ἐν τοῖς ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα ἡ ἐπιλεγομένη Βηθεσδὰ πέντε ςοὰς ἔχουσα. Vbi nolo cum Criticis prolixius diſceptare, an προβατικὴ porta intelligatur an locus? an cum κολυμβήθρα in dativo caſu poſita conſtruendum ſit potius? quae origines ſint vocis Βηθεσδὰ? quales quinque ςοαὶ? et quae alia ſunt de quibus hic curioſius ſolent diſquirere. Illa enim ſcopo noſtro parum conducunt, atque adeo ſine taedio hoc loco vix repeti poſſunt. Paucis: ille mihi verborum iſtorum ſenſus videtur conuenientisſimus: quod *fuerit Hieroſolymis ad piſcinam Probaticam illa quae Bethesda dicitur domus, habens quinque aegrotorum receptacula.* Sane enim niſi προβατικῇ et κολυμβήθρα in datiuo caſu coniungas, βηθεσδὰ nomen tribui κολυμβηθρα erit intelligendum, abſonum autem aquas בֵּית ſiue *domum* vocari: ad eandem ςόαι pertinere erunt cenſendae, quae *ad domum* rectius quam lacum referuntur: de ceteris vulgo interpretes affatim dixiſſe putamus. De hoc diſpiciendum in qua vrbis regione piſcina iſta ſita fuerit. Videtur Hammondus in ipſo templi ambitu eam quaerere, eoque ſpectare ipſi videtur locus Beniaminis et Brocardi ei allegatus, quo nempe opportuna magis ſit abluendis animalium, quae Deo offerebantur, viſceribus. At ſane nullus probati Scriptoris, quales certe Beniamin et Brocar-

dus minime exiſtunt, occurrit locus, quo vel *piſcinam* huiuscemodi in templo extitiſſe, vel ſacrificiorum inteſtina alibi quam in deſtinatis huic rei conclauibus abluta fuiſſe dicantur: celebraturque inter templi Conclauia illud quod *lauantium* appellatur, Maiemonidae aliisque Iudaeorum Magiſtris commemoratum, quod
Vol. I. Oper. p. 625. hiſce vſibus inſeruiiſſe conſtet: qua de re conferri poteſt Lightfootus, aliique qui templi deſcriptionem ediderunt. Praeterea Nic.
Epiſt. II. p. 81. Chriſt. Radziuilius non in templo, ſed prope illud hanc piſcinam collocauit, vt Brocardum adeo eodem modo accipiendum exiſtimem, per *aream que templi* apud eum intelligendum locum a templo non nimis longe amotum, et qui proinde templo cum omnibus porticibus ſuis ſpectato aream praebeat. Et ſane piſcinam illam ad templum non ſpectare Joannes euincit, qui diſerte τόπον κολυμβήθρας opponit τῷ ἱερῷ commate XXII et XXIV capitis, quo hanc hiſtoriam expoſuit. Ad locum extra templum ſitum vero deſcendiſſe ſacerdotes, extorum purgandorum cauſa, precaria eſt ſuppoſitio, et Judaeorum de *conclaui lauationum* traditioni penitus aduerſa.

§. XIII. Sed tamen inquies antiqua eſt illa ſententia, viſcera animantium Deo offerendorum in *piſcina* illa fuiſſe purgata, Hieronymo quoque et, vt paulo antea vidimus, Theophylacto approbata. Reſpondeo primo, ſi illi Patrum opinioni vel maxime verum aliquid ſubeſſe concedamus, alio tamen modo rem explicandam eſſe, eo nempe quem Antonius del
L. 2. c. 5. Caſtillo, in Itinerario cui titulum *Deuoti Peregrini* fecit indicauit: *qui ſe quidem audiviſſe ait piſcinae iſtius aquas ex templo fuiſſe deriuatas.* Et eo aliquo modo pertinere videbatur locus
fol. 77. Talmudicus ex Joma, quem breuitatis cauſa latinis tantum verbis repraeſentabimus: *Dixit R. Pinehas, nomine R. Hunae Zipporenſis, riuulus qui emanauit e ſancto ſanctorum principio tenuiſſimus erat, quaſi cornua cicadarum. Attingendo oſtium porticus referebat filum ſtaminis, cum perueniſſet ad oſtium templi referebat filum ſubteminis, denique circa portam atrii excreuerat in oris vr-*

ceoli cuiusdam magnitudinem. Deinceps valde augebatur et inualescebat ad portam vsque arcis Dauidicae, atque porro quasi quidam fluuius exundans erat, inque eo qui passi fuerant gonorrhaeam, menstruatae ac puerperae, sese lauabant. Quem tamen locum merito affirmare non audet certo ad *Bethesdam* pertinere illustr. Wagenseilius. Vt taceam enim situi *Bethesdae*, quem quidem vulgo ei tribuunt topographiae S. autores, minus ista conuenire, nam forte et ille satis certus non est; sane riuulus vel fluuius κολυμβήθρα minus apte diceretur. Quod si vero eum modum delatarum ex visceribus animantium in istam κολυμβήθραν sordium admittamus, quem B. Chemnitio quoque nostro aliisque placuisse animaduerto, saltem peribit Hammondo circumstantia, quam haut inter postremas, quae suae sententiae fauere possint, adducit, *potuisse* nempe *tot victimas aquam tingere, eamque virtutem in eam effundere, praesertim dum aqua adhuc* CALERET *ex ablutione victimarum.* quomodo caluerit enim tam longe a templo discedens ex sola viscerum ablutione? Quid quod tota ista traditio de *Bethesdae* aquis, ablutione intestinorum tinctis, incerta sit, Patrumque ingenio potius quam certae traditioni deberi videatur. *Sotae p. 308.*

§. XIV. Nec felicius illi succedit labor in TEMPORE suo instituto accommodando. *Paschale* illud fuisse dicit, quo, effuso tot agnorum *paschalium* sanguine, visceribusque eorum in hac *piscina* purgatis, praeter morem inualuerit vis aquae ex ablutione harum victimarum CALENTIS, vt medicinae illa parandae idonea euaderet. Et sane ἑορτὴν fuisse Judaeorum, cum Christus Paralyticum, isti aquarum *Bethesdae* medicinae intentum, sanaret, Ioannes diserte testatur. At primo *festum* illud *Pascha* fuisse nondum certum est satis atque exploratum. Sane enim si receptissima in Ecclesia sententia, ab antiquissimis scriptoribus tradita & a doctissimis recentiorum, quos inter *Dionysius Petauius* primas facile tenet, propugnata, vltra duo nempe Paschata JEsum baptizatum non celebrasse, et in tertio mactatum fuisse ipsum, per-

sistere debeat, non poterit ista, de quo nunc sermo nobis est, ἑορτὴ *paschalis* fuisse: quod nuperrime etiam non contemnendis ar-
P.II. c. VI. gumentis euincere denuo annisus est *Bernhardus Lamy* in *Ap-*
§. 2. *paratu Chronologico ad Historiam Euangelicam*, qui *festum sortium* hic per ἑορτὴν intelligi in Commentario ad Harmoniam peringeniose defendit. Sed vt faciles nos illi hac ex parte praebeamus, ne minimum quidem in textu Ioanneo vestigium est, illo quo Christus in Paralyticum illum incidit tempore sanationem expectatam fuisse. Moram enim homo iste, pariter ac alii aegroti, ibi trahebat continuam, donec forte ipsis aliquando commota Angelica virtute aqua frui primis liceret. Vt adeo, quamuis cetera omnia quae supponit Hammondus ei concedantur, parum tamen inde ad eum emolumenti videatur rediturum. Cyrilli locum adscribere ne pigeat, qui *pentecostes* potius quam Paschatos tempore vi diuina commotam *piscinam* ait: *Die Pentecostes*, inquit, *Angeli de coelo descendentes piscinae huius commouerunt aquam. Cuius motionis sonus adesse ipsos ad sanctificandam aquam significauit.*

§. XV. Ad TEMPORIS autem circumstantiam hoc quoque pertinet, quod κατὰ καιρὸν *tempore quodam certo* Piscina haec commota dicatur. Nam quod doctissimo Heinsio videtur et H. Hammondo fauere posset, significare nempe κατὰ καιρὸν id quod Hebraeis quandoque notatur vocibus למועד הזה *festo hoc*, a stylo saltem nostrorum scriptorum est alienum, qui vbique nostrae interpretationi fauent. Alio autem modo voces istas suo
p. 77. instituto Bartholinus accommodat: Nempe *statas curandi fluendique vices seruasse* dicit *piscinam Bethesdae aliarum aquarum medicatarum more*, multaque fontium statis temporibus intermittentium fluentiumue, vel singularem quandam vim exercentium, exempla diligenter et erudite accumulat. Quae quidem in dubium vocare nefas: attamen conclusio quam inde deducit Vir doctissimus satis firma non videtur. Hinc inquit *si* κατὰ καιρὸν *de commodo festorum tempore in aestate celebratorum in-*

terpretemur, siue de quauis opportunitate collectiue, res pro naturali piscinae virtute erit confecta, calidioribus mensibus, neutiquam frigidioribus commendata. Miraculi si fidem mereretur, quouis tempore sine coeli varietate mortalibus aegris profuisset. Quid igitur? huiusmodi tempus statum, quod causarum naturalium determinatione statum sit atque fixum, phrasi κατὰ καιρὸν negamus intelligi. Certe enim Christus qui κατὰ καιρὸν ἀπέθανε, non mortuus est ob causam quandam naturalem, mortem eius ad tempus illud determinante. Dicique ideo κατὰ καιρὸν fieri potest, omne quod fit certo aliquo tempore, quacunque de causa fiat. *Rom.V, 6.*

§. XVI. Verum in his quidem praecipuum rei momentum minime positum esse videtur. MODUS quo medicam vim aquae istae nactae esse dicuntur, haut paulo magis nostrae quam doctissimorum Aduersariorum fauet sententiae. Euangelista ait ἄγγελος κατὰ καιρὸν κατέβαινε ἐν τῇ κολυμβήθρα καὶ ἐτάρασσε τὸ ὕδωρ, h.e. *angelus tempore certo descendit in piscinam et turbauit aquam.* Vel vt in aliis codicibus legitur ἄγγελος κυρίου ἐλούετο ἐν τῇ κολυμβήθρα καὶ ἐτάρασσε τὸ ὕδωρ. *Angelus Domini lauabatur in piscina et turbabat aquam.* quarum lectionum vtra alteri sit conuenientior, non multum ad rem interest excutere, nisi quod verbum καταβαίνειν alias quoque frequentius sit vbi Deus singulare aliquid opus vel ipse praestat, vel ad illud praestandum ex Angelorum exercitu aliquem mittit. MODVM ex istis verbis medicae virtutis aquis illis inditae istum comminiscitur *Hammondus:* fuisse nempe ministrum vel seruum, qui mittebatur a sacerdotibus tempore opportuno ad turbandam aquam, materiemque ex intestinis ablutis rectius illi commiscendam: cumque esset nuntius praemissus, veluti ad aegros monendos vt se sequerentur, recte illum dici posse ἄγγελον non *angelum natura* sed *nuntium.* At hic quam durum primo, cum Euangelista dicat, *Angelum descendisse et turbasse aquas*, hoc ita interpretari: *angelum* vel *nuntium* turbandas ab alio aquas annunciasse? Deinde si minister

ſola turbatione et motu aquae vim iſtam eius excitauit, quid eius miniſterio opus? nonne rectius hiſce partibus ipſe qui ex aegris primus deſcendebat defungi potuiſſet, maxime cum periculum eſſet, ſubito diffugiente aquarum iſtarum virtute, ante eam dilabi quam aeger poſt miniſtrum deſcendere poſſet? Imo annon rectius vis aquae, quae ſenſim, ipſo Hammondo fatente, dum moram in ea traheret miniſter, diffugere incipiebat, in plures aegros impendi potuiſſet? Certe illas difficultates ipſe ſibi nectit Hammondus, dum ſcrupulum nobis eximere conatur de pluribus quam vno vice vna non curatis: nam ita ibi inter alia: *Si meminerimus, quam facile craſſiores ſanguinis victimarum particulae, e fundo eductae, rurſus ſubſidant, et cogitemus miniſtro aliquod tribuendum fuiſſe ſpatium, vt aquam turbaret et adſcenderet e piſcina, priusquam eo aeger deſcendere poſſet, hinc neceſſario ſequetur vna aquae turbatione vnum duntaxat curari poſſe aegrum.* At ſi ita ſit, certe non ſuperuacanea tantum, verum et noxia illa miniſtri opera, nec ratio poteſt oſtendi, cur illa in partes vocata fuerit. Denique cum *Hammondus* turbatis aquis, partibusque ſanguinis victimarum eo motu agitatis vim medicam harum aquarum tribuat, ſubſidentibus vero iis virtutis illius defectum, non video quae cauſa obſtare potuerit, cur non eadem anni tempeſtate, (ſupponamus enim cum Hammondo Paſchali tempore aquas *Bethesdae* hacce virtute polluiſſe, idque ex victimarum ſordibus in eas effuſis,) ſtagnante per aliquot dies in lacu materia illa ex inteſtinis victimarum, quae aquas eius ſaturauerat, iteratis vicibus ea cieri, aquis miſceri, & medicam ſuam vim, ſi non vna & ſemel, ſucceſſiue ſaltem in pluribus exercere potuerit? Denique ſi ita locutus fuiſſet Ioannes de illa re, vt locutus eſt, nec aliud tamen quam quod Hammondus cupit, ſignificare voluiſſet, vix certe ſtudio quaeſitae obſcuritatis careret vitio, vt qui aliis verbis ſtylo tum quidem recepto vti non potuiſſet, ſi *miraculum* Angelica virtute patratum voluiſſet delineare. Certe verbum καταβαίνειν, vt iam monitum, in peculiaribus Dei Angelorumue manifeſtationibus receptiſſimum,

mum, in quibus etiam *motus* vehementioris paſſim mentio, vt Matth. XXVIII, 2. aliisq; in locis, quibus ipſorum miraculorum patratio quoq; vehementioris *motus* ſchemate delineari ſolet, Deusque *miracula* N. T. quibus Eccleſiam iturus ſit ſtabilitum, per Prophetam praedicens, coelum & terram ſe commoturum dicit. *Angelus* denique non nominato mittente cuius ſit nuntius, nec aliis circumſtantiis deſignatus, naturae ordinarie non officii nomen eſt, vt nihil ad obſcuritatem deſit orationi Joannis, ſi ex *Hammondi* ſenſu ea fuerit explicanda.

§. XVII. Quae vltimo loco diximus, non minus quam *Hammondum Bartholinum* etiam feriunt. Attamen cum in ceteris MODUM medicae virtutis, hisce aquis conciliatae, aliter ille delineet, peculiari opera eius cogitationes nunc erunt expendendae. ταςάξαϑαι itaque h.e. *perturbatas* eſſe cum ait Euangeliſta *has aquas*, id ita ille explicat, vt dicat turbari thermales aliasque medicas aquas, ſiue ſtatis vicibus increſcentes, ſiue ſubterraneo calore, vel concluſo aere vi erumpente commotas ebullientesque, et luti virtutes per omnem aquae ſuperficiem diſtribuentes. Moueri autem thermales lymphas vel ex ſe calore et ſulphure nitroque vel ſubterraneo igne efferueſcentes, vel a cauſa externa, aere nempe calido aeſtatis menſibus, ſiue a ventis aliisque commoto, quibus interna aquarum vis ſuſcitetur. Quae omnia ſatis bene ſe habent, modo & cauſa motus in textu diſerte nominata, et morbi ſanati, et ipſe modus ſanationis ea hic applicare patiantur. Et de poſterioribus quidem obſtaculis duobus deinceps ſuo loco ſeorſim. Cauſa vero huius τάςάξεως in textu nominatur ἄγγελος. Hanc itaque vocem, vt ſuae accommodet ſententiae Vir doctisſimus, per eam intelligit *vim* ſiue *potentiam a Deo naturae inditam*. Vtque ſpeciem huic ſententiae ſuae inducat, obſeruat vocem מלאך Hebraeorum more virtutem Dei etiam ſignificare, Deo autem et virtuti diuinae immediate ſaepe tribui effectus, quos per cauſas naturales mediata virtute ſciamus emerſiſſe. Imo et Pſ. CIV. v. 4. *Ventum et ignem angelos*

los dici canente Regio Vate *quod faciat Deus angelos ſuos ſpiritus et miniſtros ſuos ignem vrentem.* Et ne ex voce καταβαίνειν naſcatur dubium, obſeruat ex Suida idem eam notare quod χωρεῖν h. e. *venire* ſimpliciter, promiſcuoque vſu venire ἐμβαίνειν et καταβαίνειν vt Hebraeorum ירד. Verum dici ἄγγελον potentiam naturalem a Deo rei creatae inditam, argutationibus ſepoſitis, vel vnico exemplo nobis probari velim. Locum Dauidis quod attinet, in eo, vt Bartholinianam interpretationem admittam, cui tamen Paulinam allegationem ad Ebr. cap. I. haut parum obesſe exiſtimo; non potentia vel virtus agendi in creatura, quae certis temporibus in ea ſe exerat, vt medica vis in aqua *Bethesdae*, adeoque tanquam ἄγγελος ei adueniat, מלאך dicitur: verum ipſa creatura, quatenus ſpectatur tanquam nutui et imperio Dei, ad certas quasdam res in vſus hominum expediendas, obnoxia. Obſeruandumque praeterea, in poetico iſto dicendi genere multa adhiberi ſchemata figurasque παῤῥησιωτέρως, quae in Hiſtorico ſtylo locum non inueniant. Certe enim vt *nubes* nemo Hiſtoricus ita abſolute *currus Dei* appellauerit; ita nec ignem et ventos, *angelos Dei*, nullo addito, quod ne in carmine quidem illo praetermittitur, rei quam animo intendat indicio, dicturum puto, vel dixiſſe vspiam inuenio.

§. XVIII. De MODO, quo medicam vim hiſce lacus Bethesdae aquis conciliatam eſſe exiſtimant Viri docti, ſatis. Jam de MODO quo eam illae exeruerint porro erat dicendum. At eo antequam deueniamus, diſpiciendum ante omnia, quinam morbi extiterint, quibus medela aquis iſtis fuit parata? Dicuntur itaque expectaſſe ab illis ſalutem πλῆθος πολὺ τῶν ἀσθενούντων, τυφλῶν, χωλῶν, ξηρῶν, *magna infirmorum multitudo, coecorum, claudorum, aridorum*, et paulo poſt additur, quemcunque qui ingreſſus eſſet primus ſanatum eſſe ᾧ δήποτε κατείχετο νοσήματι, *quocunque morbo obſideretur.* Hic ex *Hammondo* quaererem primum an ſordes viſceribus animantium detritas putet iſtis ſanandis morbis pares eſſe poſſe? De coecis profecto id minime

me ſibi perſuaderi patientur Medicorum filii. Nec ſuis aquis thermalibus ceterisque lymphis medicatis hanc vim tribuere audet Bartholinus, indeque ad *coecitatem*, cui hic medela ſperanda, ſuo ingenio explicandam recurrit. *Miraculo* inquit *res non careret, ſi confirmata a primis incunabulis producta coecitas eo fonte illuminaretur. Non de his ſed leuioribus oculorum viſusque defectibus et vitiis ſermo eſt, medicata vnda abſtergendis.* Verum primo nullo iure reſtringit Bartholinus vocem τυφλȣ̃, ſola hypotheſi ductus, nulla textus circumſtantia adiutus. Deinde ſi concedamus vel maxime, eos qui ab ipſis natalibus coeci extitere excludi hic poſſe, vere *coecos* ſaltem, hoc eſt oculorum lumine plane orbatos hic intelligi fas eſt, tales enim τυφλῶν nomine intelligendos eſſe, perpetuus linguae Graecae vſus loquitur. At tales medicatis aquis ſanari poſſe ne ipſe quidem Bartholinus audet affirmare, omniaque oculis allatae per medicatas aquas ſalutis exempla, quae quidem ipſe produxit, de languidis tantum et hebetudine quadam laborantibus oculis loquuntur. Quin etiam cum iſti oculorum morbi diuerſas aduerſasque plane cauſas habere posſint, magis etiam reſtringendus vocis τυφλῶν Bartholino ſignificatus erit, vt paucis tantum ex coecorum genere *piſcinam Bethesdae* dicat profuiſſe. Eadem pleraque de ceteris morbis hic nominatis affirmari poſſunt. Mirumque tantam eſſe potuiſſe aegrotorum ſalutis expectationem apud illas aquas, vt ne XXXIIX annorum taedio quidem frangerentur, ſi dubia et incerta ſalus, paucisque tantum morbis proficuae illae eſſe potuerunt. At, quod palmarium eſt, diſerte Euangeliſta dicit, primum aquas iſtas ingreſſum ᾧ δήποτε κατείχετο νοσήματι, *quocunque obſideretur morbo* liberatum eſſe. Sane enim lymphas medicatas certis tantummodo morborum generibus, illis nempe quibus conueniens ſit materia medica, quibus in terrae viſceribus tincta fuerunt atque imbuta, idoneas eſſe agnoſcunt omnes. Norunt hoc atque explorant diligenter Medici doctiores, multisque experimentis vel Patria noſtra Sileſia firmat, huiusmodi aquis pasſim vt aliis bonis ſcaturiens. Notae ſunt thermae Ceruimontanae ad Alpium Sileſiae radices, et Svidnicenſes aci-

dulae, maxime vero acidulae apud *Aquas antiquas: quibus ſimiles nullas alibi occurrere* Vir in naturae myſteriis perſpicaciſſimus iudicabat. Idem *hanc aquam* inquiebat, *ſi nota* foret, *et aduenientes bene eſſent inſtructi, mira facturam*, et *tantum vndiquaq́; fore concurſum*, vt *ne aquae quidem ſufficiant*. Sed omnibus morbis tamen ſufficere tales aquas poſſe, tantum abeſt vt veroſimile cuipiam videatur, vt nemo non, mediocri rationis vſu valens, videat, ob aduerſas morborum cauſas non nocere non poſſe tales fontes quibusdam, cum aliis proſint interea. Vidit hoc argumentum, eius que pondus agnouit ipſe Bartholinus, vim tamen eius ſe effugere poſſe putauit, ſi de omnium generum morbis phraſin Sacri Scriptoris accipiat: ſic enim vniuerſalem affirmatiuam non raro per ſynecdochen generis reſtringi ad ſpecies obſeruat. Cui ſane rei confirmandae non opus erat Virum doctum ad Exod. IX, 6. XXXII, 3. Matth. IV, 13. Actor. X, 12. prouocare, conceſſum enim apud omnes *Signum vniuerſale* accipi quandoque, vt in Scholis loqui amant, pro *generibus ſingulorum*, imo etiam pro quibusdam alicuius generis tantum ſpeciebus. At non ſatis feliciter illa obſeruatio ad hunc locum applicatur. Non enim hic adhibetur nomen adiectiuum πᾶς vel aliud aequipollens, ſed ῷ δήποτε, quod ex linguae Graecae vſu et indole determinatum habet ad omnimodam vniuerſalitatem ſignificatum, reſpondetque Germanicae phraſi es möchte ſeyn was es für eine wolte *quicunque modo ille eſſet*: nec certe vllum quo iſta obſeruatio infringatur poterit proferri exemplum: quod donec ſuppeditet nobis vel Bartholinus vel Hammondus, firmum hocce argumentum perſiſtere putabimus.

§. XIX. Jam quantum ad MODVM horum morborum in aquis illis ſanandorum porro attinet, ſoli ſecundum Euangeliſtam illi qui πρῶτος ἐνέβαινε μετὰ τὴν ταραχὴν τοῦ ὕδατος *primus poſt perturbationem aquae ingrederetur*, Medicina iſta profuit. *Hammondus* vt iſtum nodum ſoluat, anguſtiorem κολυμβήθραν fuiſſe ait, vt maior eſſet pharmacorum arctius coniunctorum, et minori aquae portione dilutorum vis atque efficacia, vnique adeo tantum capiendo

do idoneam: Materiam vero iſtam qua ſaturabatur commota aqua facile ſubſediſſe, vt nonniſi vnico balneum hocce prodeſſe potuerit. Verum quum aliquot dierum interuallo continuo affluxiſſe ex *Hammondi* hypotheſi neceſſe ſit ſordes iſtas ex victimis, et per emiſſaria ſua ex parte iterum eſſe dilapſas, nulla ratio apparet, cur non repeti ſaltem potuerit haec per balneum medicina. Imo quomodo potuit conſidere lutum, ab ipſo ingrediente aegro non minus ac a miniſtro agitatum? Demum, vt fuerit anguſtiſsima illa piſcina, duobus ſaltem hominibus, ſuccedentibus ſibi inuicem, ſuffeciſſe eius virtus videtur ex ipſis Hammondi conceſsis, qui rationem durantis tantillo tempore virtutis medicae allegans, ad moram confugit, quae miniſtro ad commouendam aquam in eo erat trahenda: quam ſi alii aegroto, qui aeque commouere aquas poterat, tribuamus, vim iſtam naturalem duobus prodeſſe potuiſſe non immerito credas: quae ex parte Bartholino quoque opponi poſſunt, cuius vltima explicatio huius nodi ab Hammondiana in re ipſa non diſſentit. At aliam rationem ternam commentus eſt idem iſtis ſeſe expediendi. Nam primo ὁ πρῶτος inquit non tam ordinem notat, quam tempus, vt ſenſus ſit: *qui ſtatim* poſt motum *piſcinae* eam ingreſſus ſit, eum ſanatum eſſe: Sic Medicos ait vrgere τὴν πρώτην in elleboro exhibendo, aliisque ſimilibus. Verum hic alia plane conſtructionis ratio eſt, nec putem exemplo firmari poſſe quod πρῶτον ποιεῖν τι ſignificet ſtatim aliquid facere. Sed nec ipſe ſatis confiſus huic interpretationi Bartholinus, *ſi πρῶτος inquit natiua nominis ſignificatione ſeruandum, collectiuum crederem numeri ſingularis pro plurali.* At vt paucis reſpondeam hoc quoque φάρμακον eſſe σοφὸν quidem et callidum, ſed minus ſolidum, patet ex Paralytici querela ἐν ᾧ δὲ ἔρχομαι ἐγὼ ἄλλος πρὸ ἐμοῦ καταβαίνει, vbi ſolum hoc, quod prior alius ingrediatur, pro cauſa expectationis irritae adducitur. Denique ait aegro corpore contaminatas aquas vim medicam amiſiſſe: illane vero redire, per emiſſaria eductis illis, quae contaminatae fuerant, aquis, aliisque ſuccedentibus, denuoque adeo prodeſſe potuiſſet?

§. XX. Sed & illud in MODO huius curationis obseruandum, quod vna lotione, atque adeo in instanti peracta ea fuerit, quod rursus aquarum medicatarum vires superare manifestum est. Hocque eo magis quo magis *Hammondi* & *Bartholini* coniecturis concesseris. Illi enim rationem reddituri cur vni profuerit tantum haec medicina, subsidentis cito nimis materiae culpam eam esse dicunt, vt adeo hoc breuioris fuerit temporis illa curatio, quo citius particulas illas, medicam vim aquae conciliantes subsidere existimauerint. Sed vtcunque visum fuerit de illo, hoc pro certo tenemus, verum morbum vnico in aquis medicatis balneo penitus sublatum esse, vel tolli etiam posse, neminem facile demonstraturum.

§. XXI. Quod vero Bartholinus existimat gloriae *miraculorum* Christi detrahi, & Spiritui S. contradici, qui testetur *miracula* Christum patrasse ἃ οὐδεὶς ἄλλος πεποίηκε, si virtutem *miraculosam* tribuamus *Bethesdae piscinae* morbos sanandi virtuti Christi θαυματοποιῷ similem; in eo profecto nimis esse videtur religiosus. Certe Christus fecit miracula ἃ οὐδεὶς ἄλλος: et licet *Mosi* quoque, *Eliae*, *Elisaeo* ceterisque Prophetis quaedam similia concedantur, morborum sanationes, mortuorum resuscitatio, aliaque eius generis, nec tamen minus verum est neminem eorum fecisse quae Christus fecit. Ille scilicet omne genus miraculorum, quandocunque visum fuerit, propria et insita virtute, solo nutu et iussu patrabat, quo vt Prophetae ceteri, ita *piscina* multo minus *Bethesdae*, vtcunque morbos omnes sanasse dicatur, paria ei fecisse neutiquam affirmari potest.

Joh. XV. 24.

§. XXII. Multo minus ex illo argumentari eum velim, quod tempore eo miracula ab annis fere 400 in Iudaica Ecclesia cessauisse, et per solum Saluatorem ea aetate patranda fuisse, quo rectius agnosceretur quod sit ὁ ἐρχόμενος, verosimile videatur. Vt enim concedamus per homines eo tempore patrata frequenter nimis miracula haut fuisse, (quamuis tamen daemonia eiecta a Iudaeis quoque hisce temporibus nonnulli, non sine omni ratione, ex ipsa N.T. historia colligant;) at alia tamen phaenomena naturae legibus

bus non metienda passim se exerebant. Miraculo loquendi facultas Zachariae, sacra peragenti, eripiebatur, filioque nato restituebatur. Miraculo vetula Zachariae coniux concipiebat: taceo alia, quorum non satis tuta fides, cum ista sufficere possint ad demonstrandum miracula 400 ante Christum annis in Ecclesia Judaica non penitus desiisse.

§. XXIII. Silentium Judaeorum de miraculo *piscinae* merito Bartholinus inter argumenta sententiae suae omittere poterat, nam et alias argumenta huiusmodi, quae a silentio quorundam scriptorum ducuntur, exiguo pretio aestimari solent, et duos scriptores *Josephum* et *Philonem*, plures enim ex antiquioribus Judaeis non habemus, eius mentionem praetermisisse non mirum. Quid enim? an quemuis scriptorem omnia gentis suae memorabilia consignasse putabimus? Nec alia desunt quorum nulla apud eos pariter ac alios scriptores mentio: Census v. g. tempore Herodis M. in Judaea acti, infanticidiũ Herodianum, et alii insigniores euentus, de quibus dubitare tamen nefas. Quod ex Josepho allegat argumentum ipse destruit: Nam quando stagnum eum *a piscina probatica non multum differens describere* ait, *sed, sine miraculi mentione:* dum *non multum differens* dicit stagnum a *piscina nostra*, non idem tamen esse fatetur, nec quisquam idem esse solide ex Josepho probauerit. *Beniaminis*, scriptoris recentioris, qui *piscinae*, sed absque miraculi mentione meminit, nulla hic est autoritas, qui illorum quae fando perceperat partem, quae sibi maxime visa est verosimilis, in scripta retulit. Apud *Nonnum* Joannis Paraphrasten *Angeli motionem* silentio praetermissam et ἀυτομάτων ἁλμάτων mentionem fieri agnoscimus; inde tamen non sequitur vim diuinam et praeternaturalem eum hic nullam agnouisse. Certe enim quae virtute diuina patrantur miracula, more Hebraeorum vel ipsi Deo vel Angelis, per quos multa inter homines patrantur, tribui perinde posse censebat, cuius operatio sensibus minime obuia ἀυτομάτων ἁλμάτων speciem praebuerit. Saltem certo affirmari non potest *Nonnum* nihil diuini hic agnouisse, cum mancus sit locus quo ista exponuntur, deesseque

L. VI. Ant. c. VI.

poſſint ea ipſa, quae ad rem maxime pertinent: diſerte vero ἱερὰ ab ipſo haec *piſcina* vocitetur, vt ἐκλεκτὴν ob hoc ipſum miraculum ſupra Theophylacto dici audiuimus. Saltem ſi ita cenſuit *Nonnus*, diſcedit à reliquis Patribus qui in iſtam hiſtoriam inciderunt. *Rudolphi* autem *Gualteri* teſtimonium, Judaeos veteres naturalem credidiſſe huius *piſcinae* virtutem dicentis, ideoque nullam eius in ſcriptis eorum fieri mentionem, coniectura nititur parum ſolida, et per ea quae ſub initium huius § monuimus concidere videtur.

Hom. 34. in Joh.

§. XXIV. Sed colores tamen alii doctisſimo Bartholino non deſunt, quibus Helenam ſuam pingere allaborat, quae an dignae ſint tanti viri ingenio et eruditione aequiorum eſto iudicium. Non ſuccenſuiſſe Judaeos Chriſto ait, quod vim diuinam aquae eluſerit, facturos id haut dubie ſi talem vim ei ineſſe credidiſſent, cum id hic potius arripiant quod die Sabbati medicinam exercuerit. Verum quid mirum cauſam arripuiſſe Judaeos, quam maxime omnibus probabilem fore iudicarent, omiſſa ea quae friuola plerisque non videri non poterat. Quid enim hoc ad vim diuinam aquae eludendam pertineat, ſi quis, quae paucisſimis tantum ab aquis illis expectanda erat, ſalutem aliis mediis aegrotis reſtituat? An propter iſtas aquas omnes in tota Judaea Medicos extirpatos voluiſſe Judaeos, ſi diuinas eas credidiſſent, Bartholinus exiſtimat? Nec maior vis in eo eſt, quod Judaeos exprobraturos fuiſſe Chriſto putat, per *piſcinam* miraculoſam admiranda opera eum edere, ſi vim quandam diuinam iſtis aquis tribuiſſent, vt quod veroſimilius obiicere potuerint multo, quam per Beelzebub ab ipſo ea praeſtari. Quomodo enim hoc obiicere potuiſſent veroſimilius, cum κατὰ καιρὸν tantum piſcina virtute iſta valuerit, Chriſti vero miracula omnium eſſent horarum? lauacro inſuper opus fuerit harum aquarum, et quotidie experiri vnicuiuis licuerit, earum adiumento nihil operibus Chriſti ſimile praeſtari poſſe? Quod *vulgus* dicit *non ita miraturum fuiſſe opera Chriſti, eumque Filii Dauidis titulo propter ea inſigniturum, ſi ſimilem curandi felicitatem in piſcina obſeruaſſet:* Id inuertimus, imo ideo, dicentes, populum opera Chriſti eſſe admi-

admiratum, quia quae diuina virtute piscinam efficere crederent, Christum quoque non alia virtute tam frequenter, iuxta cum maioribus longe, patrare posse iudicarent. Sed et illud infirmissimum: *Omnes aegri*, inquit, *hoc pacto in Judaea sine Christo valetudinem amissam recuperassent?* Quomodo vero? cum rarior, et vt plerique existimant, quotannis vis illa in piscina se prodiderit, et huic de quo agimus Paralytico XXXIIX annorum expectatione non fuerit consultum. Quot aegri vel illa anni tempestate, quo aquae vim eam non obtinebant, poterant et decumbere et a morbis liberari? *Saltem* inquit *Centurio de puero suo paralytico anxie adeo non laborasset, quum per milites facile amoueri potuerint in piscinam ingressuri.* At vero praesenti medicina ei opus erat, *δεινῶς βασανιζομένῳ*, et temporis pariter et loci, (decumbebat enim apud vrbem Capernaum,) interuallo a curatione, quae ex piscina *Bethesdae* expectanda erat nimis remoto: vt centies malo, antequam inde remedium acciperet, potuerit succumbere. Pone enim quod visum plerisque, Paschali tempore Angeli *ταραχῇ* commotas *Bethesdae* aquas fuisse: Paulo post Pascha miserum istum paralysi fuisse correptum, an anni spatio *βασανίζεσθαι* debebat, cum ad manum esset a Saluatore medicina? quid quod armis forte locus sacer non fuerit polluendus, aliaeque esse possint causae, quae vt centurio Christi praeferret opem efficere potuere. Quicquid sit, ratiunculas istas nimis longe petitas, & mille modis facile dispellendas, nemini serio agenti satisfacere posse, ego quidem existimem. *Matth. VIII.*

TANTUM.



VIRO

VIRO MAXIME VENERANDO

DOMINO

SIGISMVNDO EBERSBACH,

Ecclesiae Suidnicensis Archidiacono

S. P.

GOTTFRIDVS OLEARIVS.



Empe est ingenuae virtutis id quod est, malle esse quam videri, *meritisque potius atque opere, quam fama et testibus honorumque titulis niti; quae vt contemnenda minime sunt ornamenta, ita tamen in ea fortunae saepius plus quam ipsi virtuti potestatis esse videas. Quod spectans, Vir Maxime Reuerende, filius tuus, vt habet animum non tetricae atque inutilis, sed omni vitae regendae maxime accommodae sapientiae praeceptis apprime imbutum, non contentus priuatis virorum summorum, a quorum ore in hac Academia pependit, laudibus, post quas meae quoque incedunt, obscurae echus more illis subludentes: nec amplissimo totius Ordinis nostri testimonio, qui summos, quorum potis est, honores nuper ipsi vnanimi suffragio decreuit: solidiora quibus spes tuas solaretur atque firmaret, curas remuneraretur, argumenta quaesiuit. Horum in lucem proferendorum non adiutorem, nec prolatorum siue defensorem siue Praesidem vel ipse me iungere illi volui, vel vt iungerem opus erat; spectatorem credo me esse sibi voluit, vt qui eius in examine priuato, nomine SERENISSIMI ACADEMIAE nostrae CANCELLARII spectassem certamina et iudicassem, publico quoque huic agoni praeessem, nouumque argumentum latae, PRINCIPIS auctoritate, sententiae acciperem. Quo minus autem ego vel a natura ad laudes prodige effundendas factus sum atque compositus, vel seruilibus blandimentis, et sermone fucis et mendaciis pleno ad te arrepere a munere, quod nunc gero, permittor: hoc magis sinceram esse gratulationem meam, qua tibi Filium ex voto obtigisse, et quales esse velint suos omnes boni, ex animo gratulor, existimabis. Hunc Deus Tibi imminentis senectae tuae fulcrum, Te illi floridae eius iuuentae, senili sapientia confirmandae, firmum praesidium, diutissime seruet: vtque posteris commemorandum parentalis felicitatis exemplum existas efficiat. B. V. Scribeb. Lipsiae d. IV. Kalend. Febr. A. cIↄ Iↄccvi.*